



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 6. Utrùm inter se pugnent omousion & omœusion; ita ut si Filius rectè dicatur omousio Patri, non possit rectè dici ej amœusios, qut vicissim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

etque, qui superiora illa dicunt, anathemate excommuni-
mur; ut ostenderent dicta sua ista ex se mutuo pende-
re, & hoc ipsum eas voces præferre: & qui eas vo-
ces confessus fuerit, prorsus eandem sententiam con-
cepturum esse; contra vero, qui ita non sentirent,
sed illas calumniarentur, omnibus modis Christi ho-
sies apparituros.

Ex his obiter Nota. 1. Novum non esse, quod
hæretici, ad eludendas Ecclesiæ definitiones, easque
cum fūco & colore aliquo repudiandas, obscuritatem
illarum prætexant. 2. Hanc obscuritatis criminatio-
nem vanam esse & frivolam, nec definitionibus Ec-
clesiæ reluctantes ab inobedientiæ & schismatis crimi-
ne excusare posse; alioqui Scripturas divinas ob ea-
rum obscuritatem rejicere, & sacros Scriptores im-
pune criminari possemus. Quod tamen singularis au-
daciæ est, & qualis non in Christianis, sed in solis
hæreticis reperitur. 3. Dato quod aliqua Ecclesiæ de-
finitio obscura sit, etiam tunc primum omnium in
obsequium Christi intellectum captivandum esse, de-
finitioni purè ac simpliciter acquiescendo: sicut, si
fideles esse volumus, Scripturas, quas ut divinas pro-
ponit nobis Ecclesia, ante omnia, quantumvis ob-
scure sint, & interpretatione indigeant, ut divinas
suscipere debemus. 4. Definitionis Ecclesiæ, quæ no-
bis videtur obscura, interpretationem querendam non
esse ab Ecclesia per novam definitionem, quæ fortasse
nobis adhuc obscura, vel etiam obscurior videretur,
proindeque alia ulteriore explicanda foret; unde nul-
lus fieret finis in definitionibus: sed sufficere, si con-
sulantur pii & docti viri, quibus nullo tempore cap-
sit Ecclesia, & quorum iudicio standum est, ne iure
merito de nobis dicatur illud Apostoli: *Semper dis-
fidentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes*,
5. Definitionem Ecclesiæ plerumque obscuram
videri iis tantum, qui hæresim ab Ecclesia damnatam
damnare nolunt, quia tamen semel sincerè damnata,
obscuritas omnis illi evanesceret, omniaque illis
plana & aperta evaderent. Plerumque igitur præten-
ta ista definitionis obscuritas aliud non est, quam vo-
luntaria mentis cæcitas in hominibus addictis errori,
quem proinde amant perditè, & loco veritatis, spre-
to Ecclesiæ iudicio, imò & contempto conscientiæ
reclamantis stimulo, retinere volunt.

Ad 3. Respondet S. Athanasius, sicut voces Filii
& Patris ab humanis ad divina transferuntur, seclu-
sis imperfectionibus, quibusculum rationes patris & fi-
lii reperiuntur in humanis; ita Consubstantialis no-
men ab humanis ad divina, seclulis imperfectionibus,
quibusculum in humanis pater & filius consubstantiales
sunt, transferri; neque potiorē rationem esse, cur
voces Patris & Filii, cum de Personis divinis dieun-
tur, accipiantur incorporaliter, & non sic quoque
accipiantur Consubstantialis nomen, cum etiam dicitur
de Personis divinis. Quod à S. Doctore rectè di-
ctum esse, probatur ex eo quod in divinis, sicut &
in humanis, necesse sit, Filium Patri consubstantia-
lem esse ea ratione & eo modo, quo filius ejus est,
& est de substantia illius.

Hæc autem sunt verba S. Doctoris: *Ut cum fæ-
rum, seu filium, dicimus, non id de eo humano mo-
re intelligimus; & certi Patrem ejus Deum esse, non
corporales de eo inimus cogitationes, sed istius modi
exempla & dictiones aures quidem percipimus, inter-
rim tamen congruentes de Deo intellectus concipimus;
non enim Deus, ut homo: ita cum eum Consubstan-
tiales audimus, transcendere debemus omnem sen-
sum, & secundum divinam parabolam, intellectu-
aliter intelligere ea, quæ nobis apponuntur, ut cogno-
scamus non voluntate, aut adoptione, sed genuinum
esse Filium, verè ex Deo enatum, uti vitam ex fon-
te, & splendorem ex luce. Alioqui quæ ratio esset,
cur has voces færum & filium non corporaliter, Con-
substantialē verò quasi de corporibus intelligere ve-
limus? præsertim cum non de alia atque alio ista re-
ferantur, sed de quo færum, seu filius, de eodem quo-
que vox Consubstantialis predicatur.*

Ad 4. Respondet, ad hoc ut unus sit alteri con-

substantialis, frustra requiri eamque aliquam sub-
stantiam præsubjectam, ex qua sint enati; sed satis
esse, si unus ex altero verè natus sit, sive ex eo alii
etiam nati sint, sive non. Cum enim is, qui geni-
tus est, hoc ipso quod genitus est, non possit non
esse naturæ omnino similis cum eo, à quo genitus
est; qui genitus est, hoc ipso quod genitus est, non
potest non esse consubstantialis substantiæ, quæ ipsum
genuit, sive alios etiam genuerit, sive non. Quod
si quilibet, inquit, substantiæ genitrici suæ consub-
stantialis est, cum id certè quod ex alio nascitur, ei,
quod ipsum gignit, simile sit, non opus erit, ut re-
quiramus tres substantias, sed id solum perverstigan-
dum est, an hoc ex illo verè natum sit. Nam etsi con-
tingat non esse duos fratres, sed tantummodo unum ex
illa substantia gigni, non propterea quia alter natus
non est, is qui genitus est, alterius substantiæ dici po-
terit; sed solus cum sit, aequè habendus est genitori
suo consubstantialis; alioqui quid diceremus de filia
Jephthæ, quæ unigenita erat? aut de filio Viduæ, quem
Dominus à morte excitavit? cum ipse fratrem non
haberet, sed unicus esset. At uterque propterea pa-
renti suo consubstantialis non erat? imò omnibus mo-
dis erant, quia liberi erant, & hoc proprium libe-
rorum est erga parentes suos.

ARTICULUS VI.

Utrum inter se pugnent omousion & omœusion: ita
ut si Filius rectè dicatur omousios Patri, non
possit rectè dici ei omœusios, aut vicissim.

RESPONSIO I.

Filius non solum omousios, sed etiam omœusios Patri
rectè dicitur.

P Rob. Nam 1. Apostolus dicit Filium esse *imaginem*
Dei invisibilis, & figuram substantiæ ejus. At
imago & figura vel similis est prototypo, vel non est
imago & figura: imaginis enim & figuræ essentialē
est prototypum exprimere, nec illud exprimere po-
test absque similitudine. 2. S. Alexander Alexandrinus
Episcopus in sua ad cognominem Constantinopolitanum
Episcopum epist. illud: *Ego & Pater unum sumus*, à Christo dictum esse ait, quod ita natus sit Fi-
lius, ut paternam effigiem exactè retineat, ut qui om-
nimodam ipsius naturæ suæ similitudinem expresserit,
ac sit nulla re discrepans imago Patris, & prototypi
expressa figura. 3. S. Athanasius sic loquitur orat. 3.
contra Arianos: *Principio institum fuit in cuiusque
animo, & sempiternum Deum habere Filium Ver-
bum, sapientiam, virtutem; atque hæc esse ipsius ima-
ginem & splendorem. Ex his porro, quæ dicta sunt,
oritur ut semper (Filius) sit ex Patre, ut sit sub-
stantia similis ei, qui genuit*. 4. Episcopi Gallicani
in sua ad Orientales Synodica hæc scribunt: *Simili-
tudinem quoque ejus ad Deum Patrem non inviti au-
dientes; quippe cum imago invisibilis Dei sit. Sed
eam solum similitudinem dignam ad Patrem intelli-
gentes, quæ veri Dei sit ad verum Deum, qualis
est vera similitudo in essentia, seu substantia: vero
enim Deo similis esse non potest in substantia, nisi
verus Deus*.

Accedit ratio convincens. Nam de ratione Filii
propriè dicti est, quod sit Patri similis in substantia.
Unde productio Filii, seu generatio, dicitur proces-
sus viventis à vivente in similitudinem naturæ. Atqui
Filius in divinis est Filius propriè dictus, seclulis im-
perfectionibus, quæ in humanis reperiuntur. Ergo,
&c. Hoc argumentum suggerit S. Athanasius orat. 3.
contra Arianos, cum ait: *Quod æternus sit Rex Chri-
stus, ex superioribus patet, neque est, qui super ea
re controversiam moveat; cum enim sit Filius Dei,
sequitur ut sit similis Deo: cum verò sit similis Deo,
omnino necesse est, ut sit Dominus & Rex. Ipse enim,
inquit, qui vidit me, vidit & Patrem. Et Sanctus*
Hila-

Coloss. 1.

Hebr. 1.

Ap. Thend.
1. i. hist. c. 4.x. ad Tim
688. 1.

Hila.

Hilarius lib. de Synodis, cum ait: *Et hoc est, verè esse filium, paternæ scilicet formæ veritatem coimaginate in se naturæ perfectæ similitudine retulisse.* Et S. Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 15. ubi sic Arianos alloquitur: *Quem substantiam putatis habere diversam, plus eum dissimilem, quam similem dicitis, & omnino verum filium denegatis.* Ad veram igitur Filii rationem requirunt Patres similitudinem in natura, seu substantia.

RESPONSIO II.

Omoisson & Omoisson non opponuntur inter se, imò inter se convertuntur, sic ut Filius non possit esse *omoissios* Patri, quin ei quoque sit *omoissios*, & vicissim.

Prob. 1. Si Filius Patris similis est in substantia, verus Deus est. Nulla enim creatura Deo similis est, aut esse potest in substantia. Hinc S. Athanasius expositione fidei sic ait: *Omnia creavit Dei Verbum, ipsum tamen creaturam non est, sed genitum quiddam: nihil enim creaturarum quicquam condidit æquale aut simile sibi ipsi.* Et Orat. 2. contra Arian. *Reliqua omnia, ut quæ facta sunt, nihil simile habent ratione substantiæ cum suo creatore, sed extra eum sunt, gratia & voluntate per Verbum ejus condita, adeo ut rursus possint desinere, ubi ille, qui fecit, voluerit.* Et in epistola de sententia Dionysii Alexandrini: *Quæcumque verba Filium alienum à Patre ostendunt, ea de illo ob carnem, quam propter nos gestavit, dicta fuere: creatura enim aliena peregrinaque sunt à natura Dei.* Atqui si Filius verus Deus est, unius & ejusdem est substantiæ cum Patre: nam si Filius verus Deus est, unus est Deus cum Patre, proindeque verus Deus est per eandem illam divinitatem, qua Pater est verus Deus. Ergo, &c.

Confirm. Si Filius Patri similis est in substantia, ei similis est secundum omnia, hoc est, secundum eternitatem, necessitatem existendi, immensitatem, omnipotentiam, & alia omnia attributa divina: attributa enim divina non superaddunt aliquid distinctum substantiæ divinæ, sed sunt realiter ipsa substantia divina. Ergo si Filius Patri similis est in substantia, creatura non est: creaturam enim Deo per omnia similem esse, evidenter repugnat. Ergo Deus est: nam vel est creatura, vel Deus; ac proinde si creatura non est, Deus est. Ergo cum Patre Deus unus est: non enim sunt plures Dii. Ergo cum Patre Deus est per divinitatem unam & eandem. Ergo Deus est per divinitatem Patris. Ergo Deus est per essentiam, naturam, substantiam Patris: divinitas enim Patris est ejus essentia, natura, substantia.

Confirm. iterum. Si Filius Patri similis est in substantia, æqualis est Patri (supple in substantia). Si æqualis est Patri, verus Deus est: nam Patri, qui verus est Deus, non potest esse æqualis, nisi qui verus Deus est. Si verus Deus est, Deus est per substantiam Patris: nam si Deus est, per id Deus est, per quod Pater est Deus. Si Deus est per substantiam Patris, habet substantiam Patris: non enim potest esse Deus per id quod non habet. Si habet substantiam Patris, una est utriusque substantia. Ergo à primo ad ultimum, si Filius Patri similis est in substantia, unam & eandem cum illo substantiam habet.

Hoc argumentum suggerit S. Hilarius lib. de Synodis, ubi sic loquitur: *Quæro quomodo possum alterum ad alium nisi per similitudinem coquare? Aut numquid non idem est, esse similes, quod æquales? Si unum dico, habet & unicus suspensionem: si similem dixerero, habet indifferentis comparisonem. Non est æqualitas in dissimilibus... non sunt dissimiles, æquales. Et quid aliud possunt esse similes, quam æquales; cum in dissimilibus non sit æqualitas? Prædicantes itaque... similem Filium in omnibus Patri, nihil aliud quam æqualem prædicamus. Perfectæ æqualitatis significantium habet similitudo... similitudo res ipsas naturales coquat per similitudinem indifferentis essentia. Omnis itaque filius secundum naturalem naturitatem æqualitas patris est, quia est & similitudo na-*

tura... Similis est patri, filius patris est, ex eo natus est, per hoc solum piè potest, quod unum sint, prædicari... Si inter similitudinem & æqualitatem differre dicunt; quæro unde comparetur æqualitas: namque si secundum essentiam & virtutem & gloriam & tempus Patris Filius similis est, interrogo ex quo non videatur æqualis... Si naturam neque aliam, neque dissimilem ei, quem impassibiliter generabat, dedit, non potest aliam dedisse, nisi propriam. Ita similitudo proprietatis est, proprietatis æqualitas est, & æqualitas nihil differt. Quæ nihil differunt, unum sunt, non unione persone, sed æqualitate naturæ... Numquid similitudo non æqua est? Æqua planè, etiam si negemus: eadem enim similiter facit. Numquid similiter facta non eadem sunt? aut eadem non recipiunt æqualitatem? aut aliud aliquid inter simile differt & æquale; cum quæ similiter fiunt, eadem fieri intelligantur? nisi forte quicquam, quæ eadem sunt, negabit æqualia; ut quæ similia sunt, non dicantur æqualia: cum quæ similiter fiunt, non modo æqualia fieri, sed eadem prædicentur. Ita verè, æquè ac ingeniosè, Sanctus Hilarius.

Igitur juxta S. Hilarium, simile & æquale convertuntur. Quæ similia sunt, æqualia sunt, & vicissim quæ æqualia sunt, similia sunt: imò æqualia sunt, quia similia sunt. Ulterius, quæ æqualia sunt, quia nihil differunt, unum sunt; & ita quæ similia sunt, unum sunt. Ratio à priori est, quia similitudo consistit in indivisibili, nec suscipit majus & minus. Unde unum alteri non potest esse magis vel minus simile, & magis simile idem est ac minus dissimile, & minus simile idem ac magis dissimile. Dissimilitudo enim in indivisibili consistit, & majus ac minus suscipit. Pariter æquale consistit in indivisibili, nec suscipit majus & minus. Unde unum alteri æquale magis vel minus esse non potest, & magis æquale idem est ac minus inæquale, & minus æquale, idem ac magis inæquale: inæqualitas enim in indivisibili consistit, & majus ac minus suscipit. Nam inæquale est illud, quod recedit ab æqualitate: sicut dissimile est illud, quod recedit à similitudine. Potest autem inæquale magis vel minus ab æqualitate recedere: sicut dissimile potest magis vel minus recedere à similitudine. Hæc possent illustrari exemplo veritatis & falsitatis categoricæ.

Itaque ibi tantum est similitudo, ubi nulla est differentia; & ubi nulla est differentia, ibi æqualitas est; ac proinde ubi similitudo est, ibi est æqualitas; & vicissim ubi æqualitas est, ibi est similitudo; quia ubi est æqualitas, ibi nulla differentia est; & ubi nulla differentia est, ibi est similitudo. Convertuntur igitur inter se similitudo & æqualitas. Ulterius, quia ubi nulla differentia est, ibi est unitas; ubi est similitudo & æqualitas, ibi unitas est; & vicissim ubi est unitas, ibi similitudo & æqualitas est, quia ubi unitas est, ibi nulla est differentia. Convertuntur ergo inter se similitudo, æqualitas, & unitas.

Itaque si Filius Patri similis est in essentia, Patri æqualis est in essentia; & si Patri æqualis est in essentia, unum & idem est cum illo in essentia. Similitudo enim significantiam habet perfectæ æqualitatis, & perfectæ æqualitatis perfectæ unitatis, ac proinde si similes sunt, perfectè æquales sunt; & si perfectè æquales sunt, perfectè unum sunt, non unitate persone, sed unitate essentia. Similitudo igitur, quam Filius habet cum Patre, coarquat illum Patri, sic ut Filius verè dicat, *Ego & Pater unum sumus.* Filius Patri æqualis est vi nativitatis suæ, quia vi nativitatis suæ procedit ab illo in similitudinem naturæ cum illo, & procedens in similitudinem naturæ cum illo, procedit in æqualitatem & identitatem naturæ cum illo. Unum piè prædicantur Pater & Filius, quia Filius ex Patre natus est, & verè Filius est; & ex Patre natus est, quia ab illo in similitudinem naturæ procedit. Si Filius Patri dissimilis non est in natura, & ita si Pater Filio non dedit naturam dissimilem, propriam dedit: omnis enim alia dissimilis esset. In divinis ergo similitudo in natura proprietatis est; proprietatis in natura, in natura æqualitas; æqualitas verò in natura, omnem in natura

natura differentiam excludit: quæ autem in natura nihil differunt, unum sunt, non unione persona, sed æqualitate naturæ.

Omœusio igitur & *Omœusio* non pugnant inter se: imò ita inter se connexa sunt, ut unum sine altero esse non possit. Non potest Filius esse *omœusios* Patri, quin ei quoque sit *omœusios*: & vicissim non potest esse Patri *omœusios*, quin ei quoque sit *omœusios*: imò *omœusios* est, quia est *omœusios*. Rectè igitur ex verbis à nobis laudatis concludit S. Hilarius in hunc modum: Caret igitur, fratres, similitudo naturæ contumelia suspitione; nec potest videri Filius idcirco in proprietate paternæ naturæ non esse, quia similis est; cum similitudo nulla sit, nisi ex æqualitate naturæ: æqualitas autem naturæ non potest esse, nisi una sit, una vero non persona unitate, sed generis. Hæc fides pia est, hac conscientia religiosa, hic salutaris sermo est, unam substantiam Patris & Filii idcirco non negare, quia similis est: similem vero ob id prædicare, quia unum est; non quod unitas sit ratione prior similitudine, sed quia certissimum indicium est æqualitatis, & æqualitas, similitudinis.

Obj. 1. Marius Victorinus lib. 1. adversus Arium sic loquitur: *Impii & illi rursus, qui dicunt quodammodo esse Filium Patri, Substantia enim secundum quod substantia est, non est alia, ut sit similis ad aliam. Eadem enim est in duabus, & non est similis, sed ipsa. Sed alia cum sit, non quod substantia est, similis dicitur, sed secundum quandam qualitatem... Substantia autem, secundum quod substantia est, non recipit similem esse, aut dissimilem. Juxta quod autem receptibilis est qualitatis, similis aut dissimilis dicitur, in potentia sua, vel existentia, manente substantia vel eadem, vel diversa. Quid autem vero illa substantia vel Dei, vel $\pi\lambda\omicron\gamma\eta$, numquid receptibilis est dissimilitudinis, ut dicatur similis esse? Sed impossibile. Nec similis ergo. Non igitur $\theta\upsilon\iota\sigma\mu\omicron\varsigma$.*

R. Mario S. Hilarius opponendo; & dico similitudinem non solum in qualitatibus, sed etiam in substantiis reperiri. Nam, ut ait S. Hilarius, ibi est similitudo, ubi est æqualitas. Æqualitas autem non qualitarum modò, sed etiam & potissimum substantiarum est. Præterea, si similitudo in substantiis locum non habet, quare generatio ab omnibus definitur, processio viventis à vivente in similitudinem naturæ? quomodo ab omnibus dicitur de ratione filii esse, ut sit in natura similis cum eo, ex quo natus est?

Nec dic identitatem & diversitatem esse substantiarum, similitudinem verò & dissimilitudinem qualitarum. Nam 1. R. identitatem & diversitatem dici etiam de qualitatibus: quare ergo similitudo & dissimilitudo non possent pariter dici de substantiis? R. 2. Identitatem substantiarum esse vel illarum similitudinem, vel fundari in illarum similitudine: pariter substantiarum diversitatem esse vel illarum dissimilitudinem, vel fundari in illarum dissimilitudine.

Leve est, quod addit Marius, substantiam non esse susceptibilem similitudinis, nisi etiam susceptibilis sit dissimilitudinis: nam etiam in humanis filiis non potest esse patri dissimilis natura; quia si esset dissimilis, simul esset filius, & non esset, quod repugnat; & tamen filius in humanis est patri simili in natura, & filius patris est, quia à patre procedit in similitudinem naturæ. Filius itaque in divinis similis est Patri in natura, quia habet naturam planè indifferentem: ita verò similis est, ut non possit esse dissimilis, quia non potest non esse filius, & non potest non habere naturam planè indifferentem.

Dices, Cum Mario idem planè sentit S. Athanasius lib. de Synodis, ubi ait: *Simile non de substantiis, sed de figuris & qualitatibus dici: si quidem in substantiis non similitudo, sed identitas esse pronuntiatur. Homo homini similis dicitur, non secundum substantiam, sed secundum figuram & formam: quantum enim ad substantiam attinet, congeneres appellari debent... Qui dicit Filium (Dei) similem substantia, ex participatu eum similem dicit: si quidem similitudo, qualitas est, quæ substantia supervenire poterit. Hæc*

autem proprium creaturarum est: ea enim ex participatu Deo similes efficiuntur, &c. R. 1. S. Athanasium alibi non semel dicere Filium Patri similem in substantia. Ut ergo secum ipse concilietur, scopus ejus spectandus est. Hic autem hoc intendit solum, ut ne simile in substantia, consubstantiali anteposatur, & rejecto consubstantiali, solum simile in substantia retineatur, tamquam solum idoneum ad genuinam Filii ex Patre nativitatem exprimendam. Unde S. Doctor censendus est impugnare adumbratam tantum & superficiariam similitudinem, qualem tantum cum Deo habere possunt creaturæ, non veram & simpliciter dictam similitudinem, quæ cum æqualitate convertitur, quæque proinde connexa est cum consubstantiali, sic ut unum sine altero esse non possit.

Quæ autem hic contra similitudinem in substantia affert S. Doctor, faciliem habent solutionem. Nam 1. similitudo, sicut & æqualitas, tam pronuntiari potest in substantiis, quam identitas; & vicissim identitas tam pronuntiari potest in qualitatibus, quam similitudo & æqualitas. Uno verbo, similitudo, æqualitas, identitas tam in substantiis, quam in qualitatibus, vel sunt voces synonymæ, vel certè convertuntur inter se. 2. Falsum est, quod homo homini non secundum substantiam similis sit, sed secundum figuram & formam tantum: nam in humanis filiis patri similis est in natura, & dicitur à patre procedere, non in similitudinem figuræ vel formæ, sed in similitudinem naturæ.

3. Falsum est, quod qui dicunt Filium in divinis similem Patri in substantia, si modò de vera similitudine loquantur, se semper supponitur, & ipsa vis vocabulorum postulat, dicant eum similem ex participatione: dicunt enim eum similem, non per aliquid creatum, vel effectum, sed per ipsam substantiam seu essentiam, ipsi à Patre communicatam per veram & genuinam nativitatem.

At, inquit S. Doctor, similitudo est qualitas. Ergo si Filius Patri similis dicitur, similis per qualitatem, ac proinde similis per aliquid superadditum substantiæ: qualitas enim substantiæ advenit. At si Filius Patri similis est per aliquid substantiæ superadditum, eo modo similis est, quo creaturæ Deo similes sunt, ac proinde similis est per aliquid creatum vel effectum. R. similitudinem substantiæ non magis esse qualitatem, quam qualitas est substantiæ identitas vel diversitas. Itaque sicut identitas vel diversitas substantiæ non est qualitas, quia substantia est eadem vel diversa per se ipsam immediatè & formalissimè, nullo etiam logicè superaddito; ita nec est qualitas substantiæ similitudo, quia substantia similis est, sicut & dissimilis, non per aliquid etiam logicè tantum superadditum, sed per se ipsam formalissimè & immediatè. Unde similitudo filii cum patre in substantia, est formalissimè & immediatè ipsissima substantia, à patre filio per generationem communicata, proindeque non est qualitas neque physicè, neque logicè superaddita, sed ipsa substantia divina, qualitatis munere fungens, filium perfectè talem, qualis pater est essentialiter, per se ipsam formalissimè & immediatè denominando: igitur nec est, nec potest esse aliud participatum, sed est aliquid essentialiter increatum & improductum.

Obj. 2. Libellum, qui inscribitur Refutatio contra hypocrisim Meletii, & extat apud S. Athanasium. Sic autem loquitur author: *Homo ad similitudinem Dei factus est, nec tamen est homo Deus: non enim quod alteri simile est, id idem est cum ipso, cujus similitudinem gerit... Deo igitur non est similis Filius, cum Deus sit, sed unum cum eo, sicut in Scriptura proditur, Ego & Pater unum sumus, ubi deitatem per illud quod unum dixit, interpretatus est. R. Filium Dei, cum ipse sit Deus, non esse similem Deo similitudine inchoata & adumbrata tantum, qualem cum Deo hominem habere dicit Scriptura, cum ait hominem ad similitudinem Dei factum esse. At Filius Dei, & quidem quia ipse Deus est, non potest non habere cum Deo similitudinem illam veram, & propriè ac simpliciter dictam, quæ perfectam inter similia æqua-*

litate

Itatem constituit, & quæ proinde unitatem non excludit, sed facit. Unde quia Filius hanc habet cum Deo similitudinem in deitate, in deitate unum est cum eo, & verè dicit, *Ego & Pater unum sumus*.

Sed audiamus adhuc laudatum Authorem: *Qui Filius adimit, ne sit consubstantialis Patri, sed similem illum statuit, Deum cum esse negat*. R. cum, qui ita Filium Patri similem statuit, ut neget illum esse quod Patri consubstantialem in sententia Nicænæ Synodi, negare illum esse Deum; quia non aliam Filio cum Patre similitudinem tribuit, quam inchoatam & adumbratam. At Filium esse Deum non negat is, qui statuit illum Patri similem similitudine verà, & propriè ac simpliciter dicta, quia illum Patri æqualem statuit: unde nec negat illum esse Patri consubstantialem; vel si negat, aut secum ipse pugnat, aut à Filio non remouet consubstantialitatem, nisi ut à Patre passionem, vel ab utroque, personæ confusionem removeat. In quo graviter culpandus est post Ecclesiæ definitionem, qua Filii cum Patre consubstantialitas asserta est absque ullo inconvienti.

Et verò sicut in humanis, quia filius verè, propriè & simpliciter similis est patri in substantia, patri par est in substantia; & quia patri par est in substantia, consubstantialis est patri cum personarum distinctione, licet non sine passione, quia homo sine passione nec generat, nec generare potest: ita in divinis, quia Filius verè, propriè, & simpliciter Patri in substantia similis est, Patri in substantia æqualis est; & quia Patri in substantia æqualis est, Patri verè consubstantialis est, sine confusione personarum, imò & sine passione in Patre, quia in divinis Pater absque passione generat.

Obj. 3. S. Basilius epist. 141. sic ait: *Filium Patri neque similem, neque dissimilem propriè dicimus: nam similitudo qualitatibus est, quæ nulla est in Deo. Porro identitatem naturæ consistentes, & consubstantialia recipimus, & compositionem effugimus*, &c. R. eundem sic etiam loqui epist. 141. Ego verò, si quid privativè sentiam, dicendum mihi est; hæc vocabula, simile, substantia, dummodo adiunctum habeant, citra ullam varietatem, prorsus amplector, tamquam eodem cum omousio pertinentia, secundum sanam omousii notionem. Si quis ita, ut dixi, intelligat, ejus vocem admitto. Si est, ut quispiam ab simili id ἐναρπάξας, id est, sine ulla diversitate, separet: quod Constantinopolitana Synodus Episcopi fecerunt; suspecta mihi similitudinis vox redditur, ut quæ Unigeniti gloriæ imminuat. Etenim obsecris plerumque similitudinibus, & plurimum ab archetypo discrepantibus, nomen omousii accommodare consuevimus. Unde cum minus calumniam sit obnoxium nomen omousii, sic etiam ipsi met assentior.

Agnosceat igitur S. Basilius non solum qualitatis, sed etiam substantiæ similitudinem esse posse, & aliquem dici posse similem alteri, non solum secundum qualitatem, sed etiam secundum substantiam. Item simile in substantia citra ullam varietatem, cum consubstantiali coincidere, & ita Filium rectè dici Patri similem in substantia citra ullam varietatem. Quod si hæc voces, citra ullam varietatem, tollantur, simile in substantia sibi suspectum reddi, non quod simile in substantia, simpliciter pronunciatum, per se & secundum vim vocis, ab eo, quod simile dicitur, omnem diversitatem removere non valeat; sed quia similitudinis vocabulo abuti solemus, & sæpè similia nuncupamus, quæ multum ab archetypis discrepant, & quæ proinde non possunt nuncupari similia, nisi impropriè, abusivè, & cum addito destruentem rationem similitudinis. Similitudo enim, ut diximus, in divinis consistit, proindeque omnem omnino diversitatem excludit.

Nota. Similitudo dupliciter accipi potest. 1. Simpliciter, & sine addito destruentem. 2. Secundum quid, & cum addito destruentem. Similitudo primo modo sumpta, est propriè similitudo, & consistit in eorum, quæ similia sunt, æqualitate in ea ratione, in qua similia sunt. Hoc modo Filius in divinis omousios est Patri, & quia omousios est, est etiam omousios, ut jam

diximus cum S. Hilario. Neque necesse est, cum Filius Patri omousios dicitur, addi *aparrallaktos*, hoc est, absque ulla diversitate, nisi fortè ad cautelam majorem adhibendam adversus eos, qui similitudinis vocabulum in alienam significationem detorquentes, nomine omousii intelligere vellent habentem tantum inchoatam & adumbratam similitudinem in substantia, qualem similitudinem cum Deo habere potest creatura.

Similitudo secundo modo sumpta, non est nisi impropriè & abusivè similitudo, & consistit in illius, quod dicitur alteri simile, minori distantia, vel discrepantia ab eo, cui simile dicitur. Hoc modo creatura aliqua potest esse similis Deo, quatenus potest habere perfectionem aliquam, qua alteri creaturæ præstat, & propius accedit ad perfectionem divinam, quam excellentiori modo participat. Sic homo dicitur fuisse conditus ad imaginem & similitudinem Dei, quia à Deo præditus est facultatibus, intellectu scilicet & voluntate, quibus brutis animantibus excellit, & quibus proinde propius accedit ad Deum, cujus præstantissimas perfectiones, intelligendi & volendi vim, licet cum infinito ab earum excellentia discrimine, participat.

Ex his apparet, quomodo Arianæ similitudinis vocabulo abuti poterint, dicendo Filium Patri *housios*, vel etiam *housios, xar' eias*, similitudinem scilicet impropriè & abusivè accipiendo, nec aliud intelligendo, quam Filium naturam habere inchoata quadam & adumbrata similitudine referentem Dei substantiam, à qua tamen plurimum discrepet; referentem, inquam, per creatas perfectiones, sibi proprias, nullique alteri creaturæ communicatas, vel communicabiles, quibus illas proinde infinite propemodum antecellat; sic tamen ut sit de numero rerum, quæ non semper fuerunt, & ex non extantibus factæ, mutationi atque conversioni obnoxia sunt. Hujus porro vocis, similis in substantia, simpliciter pronuntiata vim sentientes, non modò ad omousii & omousii, sed etiam ad ipsius *ousia* vocabulum abolendum, nihil non moliri sunt, & tandem, ubi primum impunè potuerunt, Filium Patri dissimilem apertè prædicarunt.

Hinc Patribus malè olebant *Homousiani*, quod omousio rejecto, Filium Patri omousion tantum dicere vellent, illisque videbantur non nisi improprie Filio cum Patre similitudinem per omousion attribuerent, & ita illum ad creaturas amandare. Sublato *omousion*, unius substantiæ vocabulo, inquit S. Ambrosius, *omousion*, id est, similem factori suo posuerunt: cum aliud sit similitudo: nam & homo ad imaginem & similitudinem Dei factus est, nec tamen Deus est; nec quod Deus est, homo extitisse credendus est. Et ita Filium Dei similem volunt, ut aliunde similem, non de ipsa una sancta & beata Patris substantia dicant. Utrum autem hæc accusatio ad omnes, qui rejecto omousio, Filium tantum omousion dicebant, extendenda sit, infra videbitur.

Hinc Patres ab Arianis & Homousianis postulabant, ut primum consecrerentur Filium unius esse substantiæ cum Patre, quia sine hac unitate Filius non posset esse verè & propriè similis Patri, Patri per omnia similis, & ita sine hac unitate non nisi impropriè & abusivè similis Patri dici potest. Quomodo, inquit S. Augustinus l. 3. contra Maxim. c. 15. *Filium Patri similem dicitis, cui Patris substantiam dare non vultis? Nonne similis homini est pictura, vel statua, & tamen filius dici non potest, quia diversa substantia est? Homo nempe ad similitudinem Dei factus est; quia tamen non est unius ejusdemque substantiæ, non est verus filius. Si ergo vultis Dei Filium verum consecrari, prius illum ac precipue dicite unius ejusdemque substantiæ, ut tamquam verum Filium & Dei Filium per omnia similem Patri dicatis*.